



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 6. Licet aliquando ad cautelam in dubio pejorem partem supponere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

Deficiente verò hac probatione, licet contrarium, hoc est, ejus non conversio moraliter certò non constet, nisi aliud cogat necessitas, non est solvendus.

Ex quo patet nullius momenti esse quod objicitur ex S. Thoma dicente 2.2, q. 60. a. 4. *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Hoc enim ad privatum cujusquè judicium pertinet, quo quisquè æstimandus est probus nisi probetur improbus. Ac per hoc improbitas probari debet, quæ in dubio non probatur ut possit non-probus haberi: hîc verò conversus probari debet ut absolute judicetur dignus.

## §. VI,

*Licet aliquando ad cautelam in dubio pejorem partem supponere.*

**D**Eindè ad cautelam licet in dubio pejorem partem supponere: & sic ait ibidem ad 3. idem S. Doctor: *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium sive nostris sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius: quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra mi-*



*nus malum.* Maximè autem id expedit in hujus Sacramenti administratione. Dubiam enim confitentium resipiscentiam veram reputare, iis qui non resipuerunt valde est damnosum: non veram supponere, omnibus prodest. Prodest non conversis, ut converti satagant, prodest & conversis ut dum dignis pœnitentiæ fructibus certam suam vocationem facere student, perfectiùs convertantur.

Quàm id autem pœnitentium salutì conducat, probat multiplex fructus, qui hodie à plurimis hâc ratione percipitur. Multi enim sunt qui cum plures annos, puta decem aut viginti, gravibus criminibus obnoxii vixerant, & assiduè confitendo nec parum fuerant emendati, hâc viâ paucarum hebdomadarum spatio veraciter se correctos mirantur, lætantur, & maximas Conductoribus suis agunt gratias. Hoc erat quod propter quosdam nimium

*L. de lapsis.*

faciles pœnitentium receptores dicebat gloriosus Martyr Cyprianus: *Cum scriptum sit, inquit, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant: qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat: nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fra-*

*trorum*



*trem, promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & castigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum, & putaminibus amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur aeger impatiens per dolorem, gratias agat postmodum cum senserit sanitatem. Id hodie impleri videmus & gaudemus.*

## C A P U T X V.

*Vtrum in administratione Sacramenti Penitentiae, etiam seclusâ necessitate, liceat uti materiâ dubiâ, aut solum probabili?*

**D**ixi superiori capite, in dubio, pœnitenti dum se conversum dicit, prudenter non posse credi, & per consequens nisi aliud suadeat necessitas, neque absolutionem impendi: quod Theologi confirmant, dum communiter illicitum docent in Sacramentorum administrationem citra necessitatem

fitam